

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Guilielmo Reiffenstein Philippus
Melanchthon S. D.

Accepi tuas literas à uobis, de missione Erhardi. Quæsiui igitur uobis alium pædagogum, non omnino (ut spero) deteriozem Erhardo: est ei nomen Marcellus, & Fracus ex oppido Königberg, ac uobis iam diu optimè notus. Mores sunt castissimi & honestissimi, & minus habent Saxonice ferocitatis. Doctrina in his artibus iuuenilibus, & in philosophia aliquanto, ut ego existimo, maior quàm in Erhardo: fortasse minus cõposita est ad ostentationem. Sed hoc non requiritur. Spero itaque uobis placiturum esse hominem, quem quidem inuitus ex schola dimitto. Nondum aliquid promisi Marcello, sed tibi: cum uideritis hominem, liberum erit uobis hominem aut recipere, aut remittere. Bene ualete.

Eidem.

Martinus obtulit mihi tuum munus: quod cum sit amplissimum, nescio quibus uerbis tibi gratias agam. Sic autem effusa erga me liberalitate es usus, ut si me tibi Atticum in nexum obligem, satisfacere pro tot beneficijs nõ possim. Nunc aureum hoc munus, me magis etiam obligat. Dabo tamen operam ut intelligas, hæc in hominem gratum & merorem collocata esse. Rhetorici libelli iam exi-

p s bunt,

bunt, dedicati tuo nomini: ac spero, si qua est futura posteritas, hos Dialecticos libellos & Rhetoricos in manibus hominum futuros esse. Nam ego nō desinam eos expolire: qui qualescunq; sunt, tamen omnium in hoc genere scripta aliorum uincunt: quod simplici animo, & apud amicum. Nam alioqui nolum de laudibus aliorum detrabere quicquā. Audio te deliberare de schola tua huc transferenda. Scis autem meum cōsiliū semper fuisse, ut diutius domi retineres imbecilem, etatem: & in hac sententiā adhuc sum, tamen metus pestilentie aliud suadet. Apud nos Ambrosius plurimū ornauit suas aedes. Quae tibi commodissimae uidentur fore: si tamen eos huc mittere constitueris, de quo tibi etiam atq; etiam deliberandum censeo. Ex Sarmatia scribitur mihi, Turcam tyrannum rediisse Constantinopolim. De Caesare nihil habemus quod tibi sit ignotum. Aduentus eius in expectatione est. Macedo dicitur dimittere milites, & mutasse consiliū apparandi belli: de quo si quid habes, quaeso mihi significes. Mito tibi dispositionē Epistolae ad Romanos, exiguum opus in specie, sed nō sine magno labore scriptum. Si posses per occasionem mittere exemplum Comiti Nouae aquilae, gratam mihi rem faceres, si ei mitteres. Vale feliciter.

Philippo